

## PŘÍLOHA – LATINSKÝ TEXT PŘELOŽENÝCH PASÁŽÍ

**Dialogus** cui titulus Ciceronianus sive *De optimo dicendi genere.*

**Personae :** Bulephorus, Hypologus et Nosoponus.

### PARS I

**Bulephorus:** Quem video nobis procul in extremā porticu deambulantem? Nisi parum prospiciunt oculi, Nosoponus est, vetus sodalis et studiorum „suntrophos”!

**Hypologus:** An hic est ille Nosoponus, olim congerrorum omnium lepidissimus, rubicundulus, obesulus, veneribus et gratiis undique scatens?

**Bulephorus:** Is ipse est.

**Hypologus:** Unde haec nova species? Larvae similior videtur quam homini. Num quis hominem habet morbus?

**Bulephorus:** Habet gravissimus.

**Hypologus:** Quis obsecro? Num hydrops?

**Bulephorus:** Interius malum est quam in cute.

**Hypologus:** Num novum hoc leprae genus, cui vulgus hodie scabiei nomine blanditur?

**Bulephorus:** Et hoc interior haec lues.

**Hypologus:** Num ptysis?

**Bulephorus:** Penitus insedit malum quam in pulmone.

**Hypologus:** Num phthisis aut icteris?

**Bulephorus:** Est quiddam iecore interius.

**Hypologus:** Fortasse febris in venis et corde grassans.

**Bulephorus:** Febris est et non febris, interius quiddam adurens quam si febris in venis aut corde grassetur, ab intimis animi penetralibus quae in cerebro sunt proficisciens. Sed desine frustra divinare: novum mali genus est.

**Hypologus:** Nondum igitur habet nomen?

**Bulephorus:** Apud Latinos nondum, Graeci vocant zelodulean.

**Hypologus:** Nuper accidit, an „chronion” est malum?

**Bulephorus:** Annos jam plus septem eo tenetur miser. Sed heus conspecti sumus. Videtur huc gradum flectere; melius ex ipso cognosces quid sit mali. Initio Davum agam, tu fac orationi subservias et fabulae partem agas.

**Hypologus:** Evidem id faciam sedulo, si norim quid mihi deleges.

**Bulephorus:** Percupio veterem amiculum tanto levare malo.

**Hypologus:** Etiamne rem medicam calles?

**Bulephorus:** Scis esse dementiae genus, quod non totam mentem adimit, sed unam modo partem animi laedit, verum insigniter, veluti sunt qui sibi videntur capite taurina gestare cornua aut naso praelongo onusti

aut ingens idque fictile portare caput exili collo innixum, mox comminuendum, si se vel tantulum commoveant, nonnulli sunt qui, quoniam se mortuos arbitrantur, vivorum exhorrent congressum.

**Hypologus:** Desine! Novi istud morbi genus.

**Bulephorus:** Ad his medendum non aliā viā commodior quam si te simules eodem teneri malo.

**Hypologus:** Istuc audivi frequenter.

**Bulephorus:** Id nunc fiet.

**Hypologus:** Hujus fabulae non modo spectator, verum etiam adjutor libens fuero. Nam homini cum primis bene volo.

**Bulephorus:** Ergo compone vultum et sume personam, ne quid illi suboleat rem de composito geri.

**Hypologus:** Fiet.

**Bulephorus:** Nosoponum etiam atque etiam salvere jubeo.

**Hypologus:** Et Hypologus Nosopono salutem dicit.

**Nosoponus:** Evidem vobis ambobus paria vicissim precor. Sed utinam adsit quod optatis mihi.

**Bulephorus:** Non abasset, si nobis tam esset in manu dare, quam est optare. Sed quid est, rogo te, mali? Nam ista facies ac macies nescio quid sinistri pollicentur. Apparet epatis esse vitium.

**Nosoponus:** Immo cordis, vir optime.

**Hypologus:** Bona verba. Siquidem malum immedicabile narras.

**Bulephorus:** Nullāne spes in medicis?

**Nosoponus:** Ab humanis praesidiis nihil est quod sperem. Numinis opus est ope.

**Bulephorus:** Atrocem morbum narras. At cujus tandem numinis?

**Nosoponus:** Est divā quae Graece dicitur „*peithô*”.

**Bulephorus:** Novi deam flexanimam.

**Nosoponus:** Hujus amore depereo, emoriturus, ni potiar.

**Bulephorus:** Haud mirum, Nosopone, si contabescis. Novi quam sit res violentā cupidō et quid sit esse „*numpholêpton*”. Sed quam pridem te corripuit amor?

**Nosoponus:** Anni sunt ferme decem, quod hoc saxum volvo nec adhuc succedit. Itaque certum est aut immori negotio aut assequi tandem quod amo.

**Bulephorus:** Tenacem pariter atque infelicem amorem narras, qui tot annis nec elabi potuerit nec copiam adamati fecerit.

**Hypologus:** Fortassis hunc nymphae suae copiā discruciat magis quam inopiā.

**Nosoponus:** Immo inopiā maceror infelix.

**Bulephorus:** Qui potest? Quando sic hactenus omnium unus excellisti dicendi facultate, ut plerique de te praedicarent, quod olim de Pericle dictum est, Suadelam in tuis sessitate labiis.

**Nosoponus:** Ut paucis dicam, mihi putet omnis eloquentia praeter Ciceronianam. Haec est illā nymphā cuius amore colliquesco.

**Bulephorus:** Nunc affectum intelligo tuum. Speciosum illud et amabile Ciceroniani cognomen ambis.

**Nosoponus:** Adeo ut, ni consequar, vitam mihi acerbam existimem.

**Bulephorus:** Prorsus mirari desino. Ad rem enim omnium pulcherrimam animum adjecisti, sed nimium verum est quod dici solet: „duskola ta kala”. Jam tuis votis in me ipso faveo, si quis deus propitius nos respiciat.

**Nosoponus:** Quid rei est?

**Bulephorus:** Dicam, si potes rivalem perpeti.

**Nosoponus:** Quorsum ista?

**Bulephorus:** Ejusdem nymphae me discruciat amor.

**Nosoponus:** Quid audio? Teneris eādem curā?

**Bulephorus:** Ut qui maxime, et in dies accrescunt flammae.

**Nosoponus:** Isto quidem nomine mihi carior es, Bulephore, ut, quem hactenus semper in primis dilexi, nunc etiam amare incipiam, posteaquam convenienter animi.

**Bulephorus:** Fortasse nolles isto levari morbo, si quis herbis, gemmis aut incantamentis opem polliceatur.

**Nosoponus:** Istuc esset occidere, non mederi. Aut moriendum est aut potiundum, nil medium est.

**Bulephorus:** Ut facile tuum affectum ex meo divinabam!

**Nosoponus:** Nihil itaque te celabo velut iisdem mysteriis initiatum.

**Bulephorus:** Tuto quidem istuc feceris, Nosopone.

**Nosoponus:** Me non solum pulcherrimi cognominis splendor sollicitat, verum etiam Italorum quorundam procax insultatio, qui cum nullam omnino phrasim probent praeter Ciceronianam summique probri loco ducant negari quempiam esse Ciceronianum tamen hujus cognominis honorem ab orbe condito nemini Cisalpinorum contigisse jactitant praeterquam uni Christophoro Longolio, qui nuper e vivis excessit. Cui ne videar hoc laudis invidere, idem ausim de illo praedicare, quod de Calvo scripsit Quintilianus: „Fecit illi properatā mors injuriam”.

**Hypologus:** Immo non tam illi quam optimis studiis praepropera Longolii mors fecit injuriam. Quid enim ille non potuisset nobis in bonis litteris restituere, si tali ingenio, tali industriae justum vitae spatium addidissent superi?

**Bulephorus:** Verum quid vetat quominus, quod uni datum est, Musis faventibus, obtingat pluribus?

**Nosoponus:** Ille huic pulcherrimo facinori immortuus est, meā sententiā, felix. Quid enim pulchrius, quid amplius, quid magnificentius, quam Cisalpinum hominem Italorum suffragiis appellari Ciceronianum? Gratulandum arbitror illius felicitati, qui suo tempore decesserit, priusquam hanc gloriam aliquā nubeculā offuscaret, vel ob Graecarum litterarum studium, cui se dicare cooperat, vel ex Christianis auctoribus oborta nebulā, a quibus fortasse non satis constanter abstinuisse, si diuturnior vitā contigisset.

**Bulephorus:** Sic est, ut ais; illi pulcherrimo facinori immori datum est. At mihi spes est, futurum ut huic pulcherrimo facinori supersimus etiam, non immoriamur.

**Nosoponus:** Quam faveo tuis votis! Dispeream, ni istuc malim quam in divisorum ascribi numerum.

**Bulephorus:** Quis enim non malit apud posteros celebrari Ciceronianus quam sanctus? Ceterum, quando hoc amoris genus zelum nescit, obsecro te perque curas perque spes mihi tecum communes, ut pariter amanti saltem consilium tuum impartias, quibus rationibus tu tuam amicam ambias. Fortasse citius perveniemus ambo si uter alteri fuerit auxilio.

**Nosoponus:** Musae nesciunt invidiam, multo minus Gratiae, Musarum sodales. Studiorum socio nihil negandum est et amicorum oportet esse communia omnia.

**Bulephorus:** Plane bearis me, si id feceris.

**Hypologus:** Quid si me quoque in vestrum contubernium recipiatis? Sum enim jam pridem eodem oestro percitus.

**Nosoponus:** Recipimus. Ergo velut eidem initiatis deo retegam mysteria. Iam annos septem totos nihil attingo praeter libros Ciceronianos, a ceteris non minore religione temperans quam Carthusiani temperant a carnibus.

**Bulephorus:** Cur istuc ?

**Nosoponus:** Ne quid alicunde haereat alienae phraseos ac veluti labem aspergat nitori Ciceronianii sermonis. Proinde ne quid hic peccem imprudens, quidquid est aliorum codicum, ab oculis submovi scriniis inclusum nec ulli prorsus est locus in mea bibliotheca praeterquam uni Ciceroni.

**Bulephorus:** O me negligentem! Tanta religione nunquam colui Ciceronem.

**Nosoponus:** Non tantum in larario museoque, verum et in omnibus ostiis imaginem illius habeo belle depictam, quam et gemmis insculptam circumfero, ne unquam non obversetur animo. Nec aliud simulacrum in somnis occurrit praeterquam Ciceronis.

**Bulephorus:** Non miror.

**Hypologus:** Ego Ciceronem inter apostolos in calendario meo locum dedi.

**Bulephorus:** Deum enim eloquentiae quondam appellabant.

**Nosoponus:** In hujus igitur scriptis evolvendis ac revolvendis adeo sum assiduus, ut totum propemodum edidicerim.

**Bulephorus:** Industriam tuam mihi narras.

**Nosoponus:** Nunc accingor ad imitationem.

**Bulephorus:** Hic quantum temporis destinasti?

**Nosoponus:** Tantundem quantum lectioni.

**Bulephorus:** Rei tam arduae parum est. Utinam mihi vel septuagenario contingat tam speciosi cognominis decus.

**Nosoponus:** At mane! Non huic fido diligentiae. Nulla est in omnibus divini viri libris vocula, quam non in lexicon alphabeticum digesserim.

**Bulephorus:** Ingens volumen sit oportet.

**Nosoponus:** Duo robusti bajuli vix tergo gestent probe clitellati.

**Bulephorus:** Hui! At ego vidi Lutetiae, qui elephanto gestando sufficerent.

**Nosoponus:** Verum est alterum volumen hoc etiam grandius, in quod juxta litterarum ordinem annotavi formulas loquendi M. Tullio peculiares.

**Bulephorus:** Nunc demum me pudet oscitantiae meae pristinae.

**Nosoponus:** Additum est tertium.

**Bulephorus:** Hui! Etiamne tertium ?

**Nosoponus:** Sic opus est. In hoc congesi pedes omnes, quibus Cicero vel incipit vel finit commata, cola, periodos, quibusque numeris horum media temperat, tum quibus sententiis, quam modulationem accommodet, ut ne tantillum quidem possit suffugere.

**Bulephorus:** Verum qui fieri potest, ut primus index tanto major sit toto Cicerone?

**Nosoponus:** Disce rem et mirari desines. Tu forte me credis hac curā contentum, ut singulas annotem dictiones.

**Bulephorus:** Sic opinabar. Estne amplius?

**Nosoponus:** Immo istuc plus quam nihil est.

**Bulephorus:** Qui, quaeso?

**Nosoponus:** Vide, quantum aberres a scopo. Eadem vox non semper eodem usurpatum modo. Sit – exempli gratia – „refero” verbum: aliam vim habet, cum ait M. Tullius „referre gratiam”, aliam, cum ait „liberi parentes et forma corporis et moribus referunt”, aliam, cum ait „refero me ad intermissa studia”, rursus aliam, cum ait „si quid erit quod mea referat scire”, denique aliam, cum ait „non ignota referam”. Item aliud est „orare Lentulum”, aliud „orare causam”. Rursus aliter „contendit” qui cum altero certat, aliter qui quid instanter ab aliquo petit, aliter contendit qui magno studio conititur ad aliquid efficiendum, aliter qui res duas inter se committit comparatque.

**Hypologus:** Papae, istuc est scribere „lexikous elenchous”.

**Bulephorus:** Nunc demum intelligo et tuam vigilantiam et meam oscitantiam.

**Nosoponus:** Nec singulas dictiones incomitatas noto, sed quae praecedunt ac sequuntur. Nec sat habeo unum aut alterum notasse locum, quod alii solent, sed quoties dictio reperitur apud Ciceronem, quamvis consimili formā, toties noto paginam, latus paginae, et versus numerum, addito signo, quod indicet, in medio versus sit dictio an in initio an in fine. His rebus fieri vides, ut una dictio plures occupet paginas.

**Bulephorus:** Deum immortalem! Quid tanta non efficiat cura?

**Nosoponus:** Manendum, Bulephore! Nihil est, quod hactenus audisti.

**Bulephorus:** Quid istis potest accedere?

**Nosoponus:** Quid prodest tenere verbum, si haereas aut etiam labaris in deflexis, derivatis et compositis?

**Bulephorus:** Non satis perspicio, quod dicis.

**Nosoponus:** Expediam. Quid tritus aut vulgatus his verbis: „amo, lego, scribo”?

**Bulephorus:** Etiamne haec in dubium veniunt?

**Nosoponus:** Aut his nominibus: „amor, lectio, scriptor”?

**Bulephorus:** Nihil.

**Nosoponus:** At illud habeto persuasum et necessum esse mihi et opus esse, quicumque contendat ad Ciceroniani cognominis dignitatem, tanta religione, ut nec his, quamlibet vulgatis, dictionibus utatur nisi consulto indice nisi forte tutum existimas fidere grammaticis, qui verba per omnes modos personas genera et tempora, nomina pronomina et participia per omnes casus et numeros inflectunt, cum nobis fas non sit quicquam horum usurpare, quod a Cicerone non fuerit usurpatum.

**Bulephorus:** Dic, obsecro, clarius.

**Nosoponus:** „Amo, amas, amat”, sit enim hoc exempli causa dictum, apud Ciceronem invenio, at „amamus” et „amatis” fortasse non invenio. Item „amabam” invenio, „amabatis” non invenio. Rursus „amaveras” invenio, „amaras” non invenio. Contra „amasti” reperio, „amavisti” nequaquam. Jam quid si „legeram, legeras, legerat” reperias, „legeratis” non reperias, si „scripseram” invenias, „scripseratis” non invenias? Ad eundem modum conjecta de verborum omnium inflexionibus! De casuum inflexionibus similis est ratio: „amor”, „amores”, „amorum”, „amori” comperio apud Ciceronem, „o amor”, „hos amores”, „horum amorum”, „his amoribus”, „o amores” non comperio. Item „lectio”, „lectionis”, „lectioni”, „lectionem” invenio, „lectiones”, „lectionibus”, „lectionum”, „has lectiones” et „o lectiones” non invenio. Ita „scriptorem” et „scriptores” reperio, „scriptor” et „scriptorum” pro substantiuo nomine non reperio.

Non obsto quominus haec videantur ridicula, si vos audebitis „stultitias” et „stultitarum”, „vigilantias” et „vigilantiarum”, „speciebus” et „specierum”, „fructuum”, „ornatum”, „cultuum”, „vultuum”, „ambitibus” et „ambituum” aliaque hujus generis innumera fando usurpare. Ex his paucis exempli gratia propositis aestimare potes de ceteris omnibus, quae consimilem ad modum inflectuntur.

**Hypologus:** „In tenui labor”.

**Bulephorus:** „At tenuis non gloria”.

**Nosoponus:** Succinam et ego, „si quem numina laeva sinunt auditque vocatus Apollo”. Nunc de derivatis accipe. „Legō” non vereor usurpare, „legor” non ausim dicere. „Nasutus” ausim dicere, „nasutior” et „nasutissimus” nequaquam. „Ornatus” et „ornatissimus”, „laudatus” et „laudatissimus” intrepide dico, „ornatior” et „laudatior” nisi comperero, dicere religio sit. Nec quia „scriptor” et „lectio” offendo apud Ciceronem, statim ausim dicere „scriptorculus” et „lectiuncula”.

**Bulephorus:** Immensam rerum silvam video.

**Nosoponus:** Nunc accipe de compositis. „Amo”, „adamo”, „redamo” dicam, „deamo” non dicam. „Perspicio” dicam, „dispicio” non item. „Scribo”, „describo”, „subscribo”, „rescribo”, „inscribo” dicam, „transcribo” non dicam, nisi deprehendero in libris M. Tullii.

**Bulephorus:** Ne te plane commemorando defatiges, Nosopone, rem non aliter quam in speculo videmus.

**Nosoponus:** Haec index ille minimus omnium complectitur.

**Bulephorus:** Cameli video sarcinam.

**Hypologus:** Et quidem justam.

**Bulephorus:** Qua ratione fit, ut in his tam variis non aberres?

**Nosoponus:** Primum hic nihil fido nec grammaticis nec ceteris scriptoribus, quamlibet probatis, nec praceptionibus nec regulis nec analogiis, quae plurimis imponunt. In elenco noto omnes singularum vocum inflexiones, tum derivationes, postremo compositiones. Quae sunt apud Ciceronem, miniata virgula signo, quae non sunt, atra. Ita fieri non potest, ut fallar unquam.

**Bulephorus:** Quid si dictio sit apud Terentium aut aeque probatum auctorem? Notabitur atra virgula?

**Nosoponus:** Nulla est exceptio. Ciceronianus non erit, in cuius libris vel una dictiuncula reperiatur, quam non possit in Ciceronis lucubrationibus ostendere totamque phrasim hominis non aliter quam adulterinum

numisma reprobam judicabo, in qua vel unum verbum resederit, quod Ciceroniani characteris non habeat notam, cui soli velut eloquentiae principi datum est a superis Romani sermonis monetam cudere.

**Bulephorus:** Ista lex severior est etiam Draconis legibus, si ob unam dictiunculam parum Ciceronianam totum volumen damnatur quamvis alias elegans ac facundum.

**Hypologus:** Atqui justum est. An non vides ob unicum nummulum adulterinum ingentem pecuniae vim confiscari et uno naevo, quamlibet exiguo totam puellae formam, licet alias egregiam, devenustari?

**Bulephorus:** Accedo.

**Nosoponus:** Ex his quae diximus, si jam omnia conientes satis intuemini quanta sit ejus indicis moles, cogitate quanto major sit ejus indicis, in quo formulas loquendi, tropos et schemata, gnomas, epiphonemata, lepide dicta similesque dictionis delicias omnes sum complexus. Rursus tertii, qui numeros omnes et pedes, quibus orationis partes inchoat profert finit, continet. Nullus est enim in toto Cicerone locus, quem non ad certos pedes redegerim.

**Bulephorus:** Ista moles vel elephantum bajulum desideret.

**Hypologus:** Prorsus „hamaksiaion” onus narras.

**Nosoponus:** Atqui nihil mentior.

**Bulephorus:** Ne tu septennium hoc haud male collocasti. Nunc, quando per pulchre instructus es indicibus, superest ut nobis amicus amicis ac „summustais” et illud indices, quibus rationibus supellectilem istam praeclaram ad scribendi dicendive usum accommodare soleas.

**Nosoponus:** Non committam ut quicquam per me quidem vos latuisse videatur. Ac de scribendo dicam prius, quando vere dictum est stilum optimum esse dicendi magistrum. Primum illud est: nunquam ad scribendum accingor nisi nocte intempesta, cum profunda quies et altum silentium tenet omnia.

*Placidum cum carpunt fessa soporem*

*Corpora per terras siluaeque et saeva quierunt*

*Aequora, cum medio uoluuntur sidera lapsu,*

*Cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque uolucres*

denique, cum tanta rerum omnium tranquillitas est, ut Pythagoras, si viveret, orbium caelestium harmoniam exaudire liquido posset. Nam tali tempore dii deaeque gaudent cum puris mentibus miscere colloquium.

**Hypologus:** Isto noctis tempore nos profani lemurum occursus formidare solemus.

**Nosoponus:** At nobis Musae dederunt et inauspicatos lemures „et malignum spernere vulgus”.

**Bulephorus:** At sunt noctes adeo tranquillae, ut in his Austri Boreaeque ruinas aedium ac miseranda ludant naufragia.

**Nosoponus:** Novi, sed ego tranquillissimas eligo. Non arbitror esse vanum, quod scripsit Ovidius:

„Est deus in nobis, agitante calescimus illo”.

Si quid igitur divinum habet hominis animus, id sese profert in eo profundissimo silentio.

**Bulephorus:** Non me fugit istud secretum semper a laudatissimis viris fuisse captatum, quoties aliquid immortalitate dignum molirentur.

**Nosoponus:** Habeo Musaeum in intimis aedibus, densis parietibus, geminis et foribus et fenestris, rimis omnibus gypso piceque diligenter obturatis, ut vix interdiu lux aut sonitus ullus possit irrumpere nisi vehementior, qualis est feminarum rixantium aut fabrorum ferrariorum.

**Bulephorus:** Vocom humanarum tonitrua et officinarum strepitus non sinunt animum sibi praesentem esse.

**Nosoponus:** Proinde ne in proximis quidem conclavebus patior quemquam habere cubile, ne vel dormientium voces ronchive cogitationis secretum interpellent. Sunt enim qui in somnis loquuntur, et nonnulli tam clare stertunt, ut procul etiam audiantur.

**Hypologus:** Mihi frequenter et sorices noctu scripturienti negotium facessunt.

**Nosoponus:** In meis aedibus ne muscae quidem locus est.

**Bulephorus:** Sapienter tu quidem atque etiam feliciter, Nosopone, si queas et animi curas obstrepentes excludere; quae si nos et nocte comitantur in abditum illud, quid profecerimus captato silentio?

**Nosoponus:** Recte mones, Bulephore. Nam intelligo tumultus istos aliis saepe molestiores esse quam vicinorum fabrorum folles aut malleos.

**Bulephorus:** Quid ergo? Tibi nunquam obstrepunt amor, odium, livor, spes, metus, zelotypia?

**Nosoponus:** Ne te multis morer, illud semel scito, Bulephore, qui amore, zelotypia, ambitione, studio pecuniae, similibusque tenentur morbis, eos frustra hanc ambire laudem, cuius nos sumus candidati. Res tam sacra requirit pectus non modo purum ab omnibus vitiis, verum etiam ab omnibus curis vacuum, non aliter quam secretiores illae disciplinae, magia, astrologia et quam vocant alcumisticam. Porro leviores illae curae facile cedunt intentioni tam acri tamque seriae. Quamquam et has, si quae sunt, dispello, priusquam sacrum illud adeam. Nam in hoc animum multo studio consuefeci meum. Atque hac potissimum de causa caelebs agere decrevi, nequaquam ignarus quam sacra res sit conjugium, sed quod vitari nequit quin uxor, liberi, affines, multam curarum materiam secum trahant.

**Bulephorus:** Sapuisti, Nosopone. Nam mea conjux, si noctu parem ad istum modum operam dare Ciceroni, perrumperet ostium, laceraret indices, exureret schedas Ciceronem meditantes et, quod his etiam est intolerabilius, dum ego do operam Ciceroni, illa vicarium accenseret, qui ipsi pro me operam daret. Itaque fieret, ut dum ego meditor evadere Ciceroni similis, illa gigneret aliquem Bulephoro dissimilem.

**Nosoponus:** Istuc quoniam scio quibusdam usu venisse, alieno monitus periculo mihi in tempore cavi. Eodem consilio nec ullum munus publicum nec ecclesiasticam dignitatem suspicere volui, ne quid ex his accederet animo sollicitudinis.

**Bulephorus:** At ista magnis studiis ambiuntur ab aliis.

**Nosoponus:** Non equidem invideo. Mihi vel consulatu vel summi pontificis regno potius est tum esse tum haberi Ciceronianum.

**Hypologus:** Qui vere amat, praeter unam amare non potest.

**Nosoponus:** Tum si quid hujus rei paro, sub eam noctem a cenā tempero, leviter etiam pransus, ne quid crassae materiae liquidioris animi sedem invadat neu qua nebula e stomacho exhalans gravet „atque affigat humo divinae particulam aurae”.

**Bulephorus:** Sic affectum fuisse arbitror Hesiodum, cum Musae cum ipso loquerentur.

**Hypologus:** „At Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma prosilit dicenda.”

**Nosoponus:** Et ideo scripsit vinum orentia carmina.

**Bulephorus:** „Et satur est, cum dicit Horatius „ohe“.”

**Nosoponus:** Quid agat furor poeticus, nihil ad nos. Ciceronianum esse sobria res est.

**Hypologus:** Me cerebrum destituit, si quando jejuno.

**Nosoponus:** Non plane jejunum est. Sumo decem acinos uvae passae minutulae, quam Corinthiacam vocant. Hic neque cibus est neque potus et tamen utrunque est.

**Bulephorus:** Intelligo. Leniter humectat conferuntque cerebro ac memoriae.

**Nosoponus:** Addo tria coriandri grana saccaro incrustata.

**Bulephorus:** Optime, ne quid vaporis ex decem illis acinis provolet in mentis sedem.

**Nosoponus:** Neque vero quibuslibet noctibus abutor ad hanc operam.

**Bulephorus:** Non? Eas excepisti, quibus saevit Auster aut Boreas. Fortassis hibernas fugis ob noctis rigorem.

**Nosoponus:** Hoc incommodi facile depellit focus luculentus.

**Hypologus:** At interim obstrepit fumus et materiae crepitus.

**Nosoponus:** Acapnis utor.

**Bulephorus:** Quas igitur noctes deligis?

**Nosoponus:** Paucae sunt felices huic sane negotio, proinde prosperas deligo.

**Bulephorus:** Unde, quaeso?

**Nosoponus:** Ex astrologia.

**Bulephorus:** Cum te plus quam totum possideat Cicero, qui fuit otium astrologiae perdiscendae?

**Nosoponus:** Indicem mihi mercatus sum ab hujus artis peritissimo. Hujus consilio rem gero.

**Hypologus:** Audio multos indicibus istiusmodi fuisse delusos, quoties scriptor erravit in numero.

**Nosoponus:** Exploratum ac spectatum emi.

**Bulephorus:** Deum immortalem! Istuc est scribere Nec jam miror, Hypologe, si nostra sunt incondita rudiaque. Verum ad istum composito modum utra cogitatio prior, de rebus an de verbis?

**Nosoponus:** Utraque prior et utraque posterior.

**Bulephorus:** Aenigma dedisti, non responsum.

**Nosoponus:** At explicabo nodum. In genere de rebus prior est cogitatio, in specie posterior.

**Bulephorus:** Nondum satis liquet, quid velis.

**Nosoponus:** Exemplo faciam perspicuum. Statui scribere Titio (sic fingite), ut quam primum curet ad me remittendos codices, quos illi commodato dederam, si nostram amicitiam velit esse incolumem. Nam incidisse quiddam, ut illis mihi vehementer sit opus. Id si fecerit, nihil esse in rebus meis, quod non suum ducere possit. Sin minus, me veteris amicitiae tesseram illi remittere ac simultatem denuntiare. Haec prima cogitatio nimirum de re, sed in genere.

**Bulephorus:** Intelligo.

**Nosoponus:** Huic illico succedit verborum cura. Evollo quam plurimas Ciceronis epistulas, elenchos meos omnes consulgo, seligo voces aliquot insigniter Ciceronianas, deinde tropos, formulas, tum numeros.

Demum affatim instructus hujusmodi supellectile dispicio, quos flosculos quibus locis possim inserere. Mox ad sententiarum curam redeo. Hoc enim jam artis est sensus ad haec verborum ornamenta invenire.

**Hypologus:** Haud aliter quam si quis egregius artifex vestem paeclarlam appetet, ad haec, monilium, anulorum et gemmarum vim, mox ceream affingat statuam, cui haec accommodet ornamenta vel potius, quam ad ipsa conflectat ornamenta.

**Bulephorus:** Quidni? Verum age, Nosopone, num tota nox uni datur epistulae?

**Nosoponus:** Quid mihi narras unam? Musis pulchre videor litasse, si periodum unicam absolverit nox hiberna.

**Bulephorus:** Itane de re tam non magna tam prolixas scribis litteras?

**Nosoponus:** Immo perbreves, ne sis insciens, ut quae sextam periodum non excedant.

**Bulephorus:** Quin igitur sex noctes sufficiunt his absoluendis?

**Nosoponus:** Quasi satis sit scripsisse semel! Decies refingendum quod scripseras, decies ad indicem exigendum, ne qua forte dictiuncta te fefellerit adulterina. Rursus altera superest examinatio de tropis ac formulis, postrema de numeris et compositione.

**Bulephorus:** Hoc nimirum est opus absolvere.

**Nosoponus:** Ne id quidem satis, o bone. Dehinc, quod elaboratum est curā quanta potest maxima, seponendum est in aliquot dies, ut ex intervallo, refrigerato iam inuentionis amore, velut aliena legas quae tua sunt. Hic demum gravis agitur censura. Hoc severum, incorruptum et, ut Graeci vocant, „adekaston” judicium, ubi qui scripsit, ex parente fit Areopagites. Hic saepenumero fit ut verso stilo nihil relinqua.

**Bulephorus:** Omnino sic fiunt accuratae litterae, sed interim ille fruitur codicibus abs te desideratis.

**Nosoponus:** Istuc incommodi malim perpeti quam aliquid a me proficiendi quod non sit Ciceronianum. Dicitur suo quiske judicio Ego malim multum scribere quam multa.

**Bulephorus:** Scribendi rationem habemus. Ad dicendum qua meditatione te paras?

**Nosoponus:** Prima cautio est, ne cui loquar Latine, quod queam effugere.

**Bulephorus:** Ne Latine? Atqui dicendo fieri praedicant, ut bene dicamus. Novum autem exercitationis genus, si silendo discimus loqui.

**Nosoponus:** Dicendo fit ut dicamus expedite, ut Ciceroniano more, nequaquam. Qui se parant equestri certamini, generosos equos a cursu prohibent, quo ad seriam rem integris viribus veniant. Nec venator prius demit lorum generoso cani, quam uisa est fera.

Ad garriendum de quibuslibet nugis sufficit mihi sermo Gallicus aut Batavicus; profanis ac vulgaribus fabulis non contamino sacram linguam. Quodsi qua res urget, ut Latine dicendum sit, et pauca loquor nec sine praemeditatione. Et in eum usum habeo paratas aliquot formulas.

**Bulephorus:** Quas dicis formulas?

**Nosoponus:** Velut si sit salutandus aut resalutandus amicus eruditus, qui forte factus est obvius, aut vicissim laudandus, qui te laudarit, aut si gratulandum ex longinqua peregrinatione reduci sive ex aegrotatione gravi redivivo, aut agendae gratiae, qui praestit officium, aut bene precandum ei, qui nuper duxerit uxorem, aut deplorandus casus, cui periit uxor. Ad haec et hujusmodi formulis instructus sum ex Cicerone decerpis atque concinnatis; eas edidici, quo possim uti velut ex tempore. Porro si quis casus

inciderit, ut vitari non queat quin in longum proferatur sermo, multa lectione diluo quod contractum est labiis. Neque enim me fugit, hoc ipso colloquio, quod vobiscum nunc habetur, quantum flagitorum admittam, quantum detrimenti capiam ad id quod molior. Ad sacerdandum vix menstrua suffecerit lectio.

**Bulephorus:** Quid si detur spatium meditationi?

**Nosoponus:** Tum quod fuerit iis quas dixi rationibus elucubratum edisco, quoque sit memoria certior, subinde mecum recito; ita fit ut, cum res poscit, veluti de scripto pronuntiem.

**Bulephorus:** Quid si qua necessitas exigeret extempore orationem?

**Nosoponus:** Qui potest incidere, qui nihil ago publicam? Et si quam functionem publicam obirem, non sum melior Demosthene, qui nunquam voluit nisi meditatus assurgere, quamlibet populi vocibus efflagitatus. Nec mihi pudendum ducerem, quod in oratorum apud Graecos principe laudatur, nec me paeniteat convicia, si quis dicat mea „ton luchnon apozein”.

**Bulephorus:** Evidem et propositum tuum admiror et animi fortitudinem suspicio, Nosopone, supra quam dici possit; inviderem etiam, si vel in hoc genere studiorum vel inter tam conjunctos amicos ac sodales tanta pestis incidere posset. Ceterum, quoniam arduum est quod expetimus et via non modo longa ac perdifficilis, verum etiam anceps. Si periculum proprie tuum esset, tamen arbitrarer hoc esse necessitudinis nostrae, neque vulgaris neque recentis, liberis consiliis amico prospicere, ne tot curas, tot vigilias cum valetudinis ac rei familiaris dispedio frustra susciperet, susceptas urgeret neve, quod in rebus humanis nimium frequenter accidere videmus, pro thesauro diu multumque quaesito tandem reperire carbones. Nunc vero, cum pari cupidine ducamur omnes ejusdemque nymphae teneamur amore – nam et Hypologus ejusdem est animi – tuae quoque fuerit humanitatis et si quid admonemus, boni consulere, et si quid habes melius, libenter amicis communicare.

**Nosoponus:** Aequissimum, Bulephore, postulas; proinde nec te gravatim audiam, nec maligne, si quid consulere queam, in medium conferam.

## PARS II

**Bulephorus:** Videlicet huc ibam, mi Nosopone. Hoc mihi tecum convenit Ciceronem omnium optime dicere.

**Nosoponus:** Convenit.

**Bulephorus:** Nec Ciceroniani pulcherrimum mereri cognomen, nisi qui similiter possit dicere.

**Nosoponus:** Prorsus.

**Bulephorus:** Tum ne bene quidem dicere, qui non dicat apte.

**Nosoponus:** Convenit et istuc.

**Bulephorus:** Ut autem apte dicamus, ita demum fieri, si sermo noster personis et rebus praesentibus congruat.

**Nosoponus:** Scilicet.

**Bulephorus:** Quid? Videtur praesens saeculi status cum eorum temporum ratione congruere, quibus vixit ac dixit Cicero, cum sint in diversum mutata religio, imperium, magistratus, respublica, leges, mores, studia, ipsa hominum facies, quid non?

**Nosoponus:** Nihil simile.

**Bulephorus:** Quid igitur frontis habeat ille, qui a nobis exigat, ut per omnia Ciceronis more dicamus? Reddat is nobis prius Romam illam quae fuit olim, reddat senatum et curiam, patres conscriptos, equestrem ordinem, populum in tribus et centurias digestum, reddat augurum et auruspicum collegia, pontifices maximos, flamines et vestales, aediles, praetores, tribunos plebis, consules, dictatores, Caesares, comitia, leges, senatus consulta, plebiscita, statuas, triumphos, ovationes, supplicationes, fana, delubra, pulvinaria, sacrorum ritus, deos deasque, Capitolium et ignem sacrum, reddat provincias, colonias, municipia et socios urbis rerum dominae. Porro, cum undequaque tota rerum humanarum scenă inversă sit, quis hodie potest apte dicere nisi multum Ciceroni dissimilis? Adeo mihi videtur hoc quod agebamus in diversum exisse. Tu negas quenquam bene dicere, nisi Ciceronem exprimat, at res ipsa clamitat neminem posse bene dicere, nisi prudens recedat ab exemplo Ciceronis. Quocunque me verto, mutata omnia, in alio sto proscenio, aliud conspicio theatrum, immo mundum alium. Quid faciam? Christiano mihi dicendum est apud Christianos de religione Christiana; num, ut apte dicam, imaginabor me vivere aetate Ciceronis et in frequenti senatu apud patres conscriptos in arce Tarpeiā dicere, et ex orationibus quas in senatu dixit Cicero voculas aliquot, figuras et numeros emendicabo? Habenda est contio apud promiscuam multitudinem, in qua sunt et virgines et uxores et viduae, dicendum est de laude jejunii, de paenitentia, de fructu orandi, de utilitate eleemosynarum, de sanctitate matrimonii, de contemptu rerum fluxarum, de studio divinarum litterarum: quid hic opitulabitur mihi Ciceronis eloquentiā, cui quemadmodum res, de quibus dicendum est, erant ignotae, ita non potuerunt usitata esse vocabula, quae post illum nova cum rebus novis exorta sunt. An non frigidus orator erit, qui ad has materias veluti pannos Ciceroni detractos assuat? Referam non rumore perlata, sed quod his auribus audivi, his oculis conspexi. Florebant id temporis Romae praeter ceteros dicendi laude Petrus Phaedrus et Camillus, hoc aetate minor, sed eloquendi viribus major, nisi quod ille jam hujus laudis arcem occuparat. Verum horum neuter, ni fallor, genere Romanus erat. Erat autem cuidam delegata provincia, qui de morte Christi diceret die sacro, quem „parasceves” appellant, idque apud summum pontificem. Aliquot ante diebus ad eam orationem audiendam sum invitatus ab eruditis. Cave, inquietabant, ne desis; nunc demum audies, quid lingua Romana sonet in ore Romano. Adfui percupide, astiti suggesto proximus, ne quid effugeret. Aderat ipse Julius Secundus, quod solet, valetudinis opinor causā, admodum raro, aderat frequens cardinalium episcoporumque consessus ac, praeter ignobilem turbam, docti plerique qui tum Romae agebant. Nomen oratoris non edam, ne cui videar hominis probi et eruditī famam arrodere voluisse. Erat hoc animo quo tu nunc es, Nosopone, nimirum Ciceronianae facundiae candidatus. Prooemium et peroratio oratione paene totā longior consumebatur praedicandis Julii Secundi laudibus, quem appellabat Jovem O. M., qui dextrā omnipotente tenens ac vibrans trisulcum et „inevitabile fulmen” solo nutu faceret quicquid vellet. Quicquid aliquot annis gestum fuerat in Galliis, in Germania, in Hispaniis, in Lusitania, in Africa, in Graecia, id unius nutu perfectum esse praedicabat. Atque haec quidem Romae Romanus ore Romano sonoque Romano. Sed quid haec ad cardinales et episcopos reliquorum apostolorum vicem obtinentes? Jam argumento, quod suscepere tractandum, quid sacratus, quid verius, quid mirabilius, quid sublimius, quid commovendis affectibus accommodatius? Quis hic vel vulgari

quapiam eloquentia praeditus non saxeis etiam hominibus excitet lacrimas? Consilium orationis hoc erat, ut primum Christi mortem faceret luctuosam, mox in diversum flexa dictione redderet gloriosam ac triumphalem, nimirum ut nobis exhiberet exemplum Ciceroniana dinoseos, qua potuit auditorum animos in quemcumque vellet affectum rapere.

**Hypologus:** Quid? Successitne?

**Bulephorus:** Mihi, cum maxime tractaret affectus illos tragicos, quos rhetores appellant „pathê”, ne quid fingam, ridere libebat. Nec quenquam in toto illo consessu vidi pilo tristiorum, cum totis eloquentiae viribus exaggeraret indignos innocentissimi Christi cruciatus, rursum nec tantulo hilariorem quenquam, cum totus in hoc esset, ut mortem illam redderet nobis triumphalem plausibilem et gloriosam. Commemorabat Decios et Q. Curtium, qui se pro salute rei publicae diis manibus devovissent, item Cecropen, Menoeceum, Iphigeniam et alios aliquot, quibus patriae salus ac dignitas ipsâ vitâ fuisset carior. Deplorabat autem valde lugubriter, quod fortibus viris, qui suis periculis rei publicae subvenissent, publicis decretis relatâ esset gratiâ, aliis in foro positâ statuâ aureâ, aliis decretis honoribus divinis: Christum pro suis benefactis ab ingratâ Judaeorum gente praemii loco tulisse crucem, dirâ passumsummâque affectum ignominiâ. Atque ita nobis bonum illum et innocentem virum deque gente suâ optime meritum reddebat miserandum, quasi Socratis aut Phocyonis mortem deplorasset qui, cum nihil admisissent sceleris, civium suorum ingratitudine coacti sunt cicutam bibere, aut Epaminondae, qui ob res paeclare gestas compulsus est capitis causam apud suos dicere, aut Scipionis, qui post tot in rem publicam merita, exsulatum abiit, aut Aristidis, quem populus Atheniensium non ferens cognominis invidiam, quod ob insignem morum integritatem vulgo justus diceretur, ostracismo jussit in exilium proficiisci. Quaeso, quid his dici potuit frigidius aut ineptius? Et tamen Ciceronem pro viribus aemulatus est. Ceterum de arcano supremi numinis consilio, quod hac inauditâ ratione voluit genus humanum a diaboli tyrannide redimere per mortem unici filii, tum de mysteriis, quid sit commori Christo, quid sit cum illo sepeliri, quid cum illo resurgere, nulla mentio. Deplorabatur illius innocentia, traducebatur Judaeorum ingratitudo, at non deplorabatur nostra malitia, nostra ingratitudo, qui sic redempti, tot beneficiis affecti, ad tantam felicitatem inauditâ benignitate provocati rursus illum, quod in nobis est, crucifigimus, ultiro revoluti in satanae tyrannidem, servientes avaritiae, luxui, voluptatibus, ambitioni, magis huic mundo dediti quam unquam fuerint ethnici, quibus Deus nondum aperuerat hanc caelestem philosophiam. Jam in diversa parte, cum ille magno conatu id ageret, ut gaudio gestiremus, magis libebat flere, cum audirem Scipionis, Pauli Aemilii et C. Caesaris triumphos et imperatores in deorum numerum relatos cum crucis triumpho conferri. Hujus gloriam qui voluisset verbis attollere, Paulum apostolum potius sibi proponere debebat quam Ciceronem. Quam ille in hoc argumento exsultat, attollitur, superbit, regnat, triumphat omnia mundana velut e sublimi despiciens, quoties in crucis praedicationem incidit! Quid multis? Tam Romane dixit Romanus ille, ut nihil audirem de morte Christi. Et tamen ille Ciceroniana dictionis ambitiosissimus candidatus Ciceronianis videbatur mirifice dixisse, cum de re paene nihil diceret, quam nec intelligere nec amare videbatur, neque quicquam apposite dicebat nec ullos moverat affectus. Tantum hoc laudis ferebat, quod Romane pronuntiasset et aliquid Ciceronis rettulisset. Probari poterat hoc velut indolis ingenii specimen, si a puero apud pueros

in schola fuisse habita talis oratio. Verum ad talem diem, ad tales auditores, ad tale argumentum quid faciebat, obsecro?

**Nosoponus:** Est anônumos, de quo loqueris?

**Bulephorus:** Nomen, ut dictum est, intelligi malo quam exprimi.

Neque enim nobis hic propositum est ullius nomen aspergere, sed errorem vitandum ostendimus, qui non paucis hodie sub splendidi nominis umbra imponit. Hoc nostra refert, Nosopone; nomen hominis, de quo narravi fabulam, scire nihil refert. Pertinet autem hoc et ad Ciceronis gloriam, cui video te supra modum favere, cui quotquot usquam terrarum sunt eruditii merito favent. Nam isti simii non solum officiunt adulescentiae studiis ac moribus, verum etiam ipsum Ciceronis nomen obscurant, cujus cognomine sese venditant, cum nihil sint minus quam Ciceroniani. Quemadmodum eximiae pietatis virum Benedictum infamant, qui se cultu tituloque jactant Benedictinos etiam illi, qui vita propius ad Sardanapalum accedunt quam ad Benedictum, et minime malitiosum hominem Franciscum, qui se hujus cognomine jactitant, cum moribus Pharisaeos proprius exprimant quam Franciscum, et Augustinum, qui se ferunt Augustinenses, cum a doctrina simul ac pietate tanti viri procul abhorreant, fortasse et Christum, qui praeter titulum nihil habent illius: ita Ciceronis famae labem aspergunt, qui nihil habent in ore praeter Ciceronem et Ciceronianos, cum nulli magis absint ab eloquentia Ciceronis. Mirum, quo superciliosus Thomae, Scoti, Durandi similiumque barbariem exsecrentur, et tamen, si res vocetur ad exactum judicium, illi, cum se nec eloquentes nec Ciceronianos jactitent, magis Ciceroniani sunt quam isti, qui postulant haberi non jam Ciceroniani, sed ipsi Cicerones.

**Nosoponus:** Monstri simile narras.

**Bulephorus:** Non est monstrosa veritas; qui mentitur, monstri simile dicit.

Nonne fateris Ciceroni simillimum, qui de quacunque re dicit optime?

**Nosoponus:** Fateor.

**Bulephorus:** Ad bene dicendum duae potissimum res conducunt, ut penitus cognitum habeas, de quo dicendum est, deinde ut pectus et affectus suppeditet orationem.

**Nosoponus:** Ista quidem docent Horatius et Fabius et alioqui citra auctorem verissima sunt; quare non conabor infitias ire.

**Bulephorus:** Unde igitur Ciceroniani nomen feret, hoc est optime dicentis, qui de rebus loquitur, quas nec penitus intelligit nec affectu pectoris prosequitur, ut ne dicam quas plane negligit oditque?

**Hypologus:** Id quidem perdifficile est. Qui possit enim pictor, quamvis probus artifex, effingere figuram hominis, quem nunquam attente contemplatus est aut fortasse ne vidit quidem? Deinde vix impetres ab hoc artificum genere, ut scite rem exprimant, nisi delectentur argumento.

**Bulephorus:** Illud igitur in primis curandum erat Ciceronianis, ut intelligent mysteria Christianae religionis nec minore studio libros sacros evolvant, quam Cicero philosophorum, poetarum, jurispritorum, augurum et historicorum evolverat. His rebus instructus ille fuit Cicero. Nos, qui nostrae professionis nec leges nec prophetas nec historias nec interpretes attingimus, contemnimus etiam et horremus, qui tandem erimus Ciceroniani? Verum age, dicendum est apud Christianos, sed de re profana, puta de creando magistratu, de matrimonio aut de pangendo foedere aut de bello suscipiendo: an his de rebus Christiane

apud Christianos eodem modo dicemus quo Cicero ethnicus loquebatur apud ethnicos? An non omnes vitae nostrae actiones conferenda sunt ad Christi regulas? A quibus si tua recedat oratio, jam nec bonus orator nec vir fueris bonus? Quod si is, qui dicit, nullum verbum promit nisi ex indice suo, cum res mortalium in diversum commutatae novas voces invexerint, quid hic faciet Ciceronianus, cum eas non reperiet nec in M. Tullii libris nec in suo elenco? Si reicietur quicquid non deprehenditur in libris illius, cum tam multi interciderint, vide quam multa vitabimus ut barbara, quae sunt a Cicerone prodita, rursus quam multa quibus erat usurus, si de rebus hujusmodi dicendum fuisse. Nusquam apud Ciceronem legimus Jesu Christi, verbi Dei, spiritus sancti aut trinitatis vocabulum nec „evangelium” nec „evangelistam” nec „Mosen” nec „prophetam” nec „pentateuchum” nec „psalmos” nec „episcopum” nec „archiepiscopum” nec „diaconum” nec „hypodiaconum” nec „acoluthum” nec „exorcistam” nec „ecclesiam” nec „fidem”, „spem” et „caritatem” nec „trium personarum eandem essentiam” nec „haeresim” nec „symbolum” nec „septem ecclesiae sacramenta” nec „baptismum” aut „baptistam” nec „confirmationem” nec „eucharistiam” nec „sacrum unctionem” nec „poenitentiam” nec „sacramentalem confessionem” nec „contritionem” nec „absolutionem” nec „excommunicationem” nec „ecclesiasticam sepulturam” nec „missam”, nec alia innumera quibus constat omnis vita Christianorum. Haec nusquam non sunt obvia, quacunque de re tentas dicere, ingerunt sese vel nolenti. Quid faciet, quo se vertet hic ille superstitiose Ciceronianus? An pro patre Christi dicet „Iupiter O. M.”, pro filio dicet „Apollinem” aut „Aesculapium”, pro virginum regina dicet „Dianam”, pro ecclesia „sacram contionem” aut „ciuitatem” aut „rem publicam”, pro ethnico „perduellem”, pro haeresi „factionem”, pro schismate „seditionem”, pro fide Christiana „Christianam persuasionem”, pro excommunicatione „proscriptionem”, pro excommunicare „diris devovere” aut, quod nonnullis magis arridet, „aquā et igni interdicere”, pro apostolis „legatos” aut „veredarios”, pro Romano pontifice „flaminem Dialem”, pro consessu cardinalium „patres conscriptos”, pro synodo generali „S. P. Q. rei publicae Christianae”, pro episcopis „praesides provinciarum”, pro electione episcoporum „comitia”, pro synodica constitutione „senatus consultum”, pro summo pontifice „summum civitatis praefectum”, pro Christo, capite ecclesiae „summum rei publicae praesidem”, pro diabolo „sycophantam”, pro propheta „vatem” aut „divinum”, pro prophetis „oracula divum”, pro baptismo „tincturam”, pro missa „victimam”, pro sacerdote „sacrificulum” aut „sacrorum antistitem”, pro diacono „ministrum” aut „curionem”, pro gratia Dei „numinis munificentiam”, pro absolutione „manumissionem”? Vides ex innumera vocabulorum turba quantulam portionem attigerim. Quid hic faciet Ciceroniana phraseos candidatus? Utrumne tacebit an ad hunc modum immutabit recepta Christianis vocabula?

**Nosoponus:** Quidni?

**Bulephorus:** Fingamus igitur exemplum. Hanc sententiam: „Jesus Christus, verbum et filius aeterni patris, „salvator, Dominus”, juxta prophetias venit in mundum ac factus homo sponte se in mortem tradidit ac redemit ecclesiam suam offensique patris iram avertit a nobis eique nos reconciliavit, ut per gratiam fidei justificati et a „satanae” tyrannide liberati inseramur ecclesiae et in ecclesiae communione perseverantes post hanc vitam consequamur regnum caelorum” sic efferet Ciceronianus: „Optimi Maximique Jovis interpres ac filius, servator, rex, juxta vatum responsa ex Olympo devolauit in terras et hominis assumpta figura sese pro salute rei publicae sponte devovit diis manibus atque ita contionem (sive ciuitatem sive rem

publicam) suam asseruit in libertatem ac Jouis O. M. vibratum in nostra capita fulmen restinxit nosque cum illo redegit in gratiam, ut persuasionis munificentia ad innocentiam reparati et a sycophantae dominatu manumissi cooptemur in civitatem et in rei publicae societate perseverantes, cum fata nos evocarint ex hac vita, in divum consortio rerum summa potiamur”.

**Nosoponus:** Ludis tu quidem, Bulephore.

**Bulephorus:** Ita me bene amet nostra Peithô, rem seriam ago. Iam, si usus venerit, ut de difficillimis dogmatum nostrorum quaestionibus sit disserendum, quantum lucis habebit disputatio, si talibus flosculis ornatus incedat sermo. Quid aliud quam fumum ingeram materiae tenebris? Quoties ad has salebras restitabit lector? Sed age, liceat hactenus ludere Ciceronis imagine, quid fiet, ubi res poscet divinarum scripturarum testimonia? An, cum erit citandum aliquid ex Decalogi praeceptis, tantum ascribam "recita legem"? Cum pronuntiandum erit „constitutio synodi”, ascribam „recita senatus consultum”? Cum erit aliquid promendum ex prophetis aut apostolis, ascribere sat erit „recita testimonium”? Sic enim omnino solet Cicero. Itaque vitabo, ne dictionem Ciceronianam verbis non Ciceronianis contaminem?

**Nosoponus:** Quid igitur?

Num auctor eris nobis sic loquendi, quemadmodum scripserunt Thomas et Scotus?

**Bulephorus:** Si melius dicit qui dicit aptius, sic de rebus sacris loqui praestiterat quam in his Ciceronem exprimere. Quanquam est medium quiddam inter Scotos et Ciceronis simias. Nec statim male Latinum est, quod apud Ciceronem non exstat, qui, ut saepe jam dictum est, nec exstat totus, et si totus exstaret, non tractavit omnes materias, et si tractasset omnes illorum temporum, nostras res nec tractavit nec novit. Postremo, quod ad sermonis proprietatem et elegantiam attinet, nec Ciceroni cedit M. Varro et hac dote praefertur C. Caesar. Neque enim M. Tullius fuit auctor ac parens Romani sermonis, sed orator maximus et in causarum civilium actionibus primae laudis, in aliis inferior nonnullis in carmine frigidus, in vertendis Graecis parum felix, qualis futurus in ceteris incertum. Si mihi de matrimonio dicendum sit, cuius multo alia nunc est ratio quam fuit olim et de quo M. Tullius nihil memoriae prodidit, num verebor ex Aristotele, Xenophonte, Plutarcho, e divinis libris, e Tertulliano, Hieronymo et Augustino sententias ac verba legere, ne cui videar parum Ciceronianus? Item si de re rustica praecipiendum fuerit, fas non erit ex Virgilio, Catone, Varrone, Columella, decerpere quae placent? Si barbarum habetur, quicquid est novum et recens natum, nulla vox non fuit aliquando barbara. Quam multa reperies apud ipsum Ciceronem nova, praesertim in his libris, in quibus tractat artem rhetoricae aut rem philosophicam? Quis ante Ciceronem audivit „beatitatem” et „beatitudinem”? Quid apud Latinos sonat „finis bonorum”, cum apud illum significet summum bonum aut id in quo quis statuit summam felicitatem? Quid nobis sonat „visum” et „visio”, „species”, „praepositum” et „rejectum”? Quid Latinis auribus sonat „occupatio”, quid „contentio” quid „superlatio” quid „complexio” quid „traductio” quid „frequentatio”, „licentia”, „gradatio” quid „status” et „constitutio” quid „judicatio” quid „continens” quid „firmamentum” quid „demonstrativum genus”, quid „inductio” quid „propositum” quid „aggressio” quid „insinuatio” quid „acclamatio” quid aliae voces innumerae, quas aut prius Latinis inauditas ausus est fingere aut in eam significationem detorsit, quam populus Romanus non agnoscebat? Hoc ille, reclamante saeculo, non est veritus facere, cum philosophorum Graecorum dogmata Latinis auribus traderet et, ut, quod erat in praeceptis rhetorum,

peculiaribus vocabulis in hoc proprie repertis explanaret nonnullas peregrinas voces civitate Romana donavit: et nos piaculum admissum credimus, si rebus novatis vocibus aliquot vouis utamur? Nulla est ars humana, cui non concedimus jus utendi suis vocabulis. Licet grammaticis dicere „supinum” et „gerundium”, mathematicis „sesquialteram” et „superbipartientem”, habent agricolae et fabri propria suarum artium vocabula et nos caelum terrae miscemus, si nostrae religionis mysteria suis verbis explicemus? Voces aliquot Hebraicae, complures Graecanicae (quoniam e Palaestina, Asia minore et Graecia primum ad nos demanavit Christiana philosophia) una cum ipsis rebus inventae sunt, quod genus sunt: *hosanna amen ecclesia apostolus episcopus catholicus orthodoxus haereticus schisma charisma dogma chrisma Christus baptizo paracletus evangelium evangelizare proselytus catechumenus exorcismus eucharistia symbolum anathema*; nonnullas prisci Christianae religionis antistites usurparunt, quo commodius possent de rebus tam sublimibus disserere, cujusmodi sunt „homousios”, quod nos „consubstantialis” vertimus, „fides”, „gratia”, „mediator” et si qua sunt alia, quae antehac vel inaudita Latinis erant vel non in eundem sensum usurpata. Num igitur tanti nobis erit dici Ciceronianum, ut de rebus, de quibus solis erat loquendum, prorsus sileamus aut verbis vel ab apostolis traditis vel a maioribus repertis et in hunc usque diem tot saeculorum consensu receptis abstinebimus, alia quaedam in illorum locum pro suo quisque arbitrio comminiscentes? Immo mel piper et sinapi cum sua nationis vocabulis receperunt primum Graeci mox Latini: et nos fastidimus aliquot dictiones, quae nobis cum illa caelesti philosophia per Christum, per apostolos, per afflatos sacro spiritu patres per manus traditae sunt, atque interim ad Ciceronem confugimus inde mutuo sumpturi voces, videlicet „en tê phakê muron” quod apud Graecos dici solet? Siquis nobiscum summo jure contendat, citius diceret Ciceronis verbis, figuris ac numeris Christianae philosophiae majestatem foedari. Verum istis non assentior; mihi placet in quavis materia nitor ac mundities orationis. At non ille dicit Ciceroniane, qui Christianus apud Christianos de re Christiana sic loquitur, quemadmodum olim ethnicus apud ethnicos de rebus profanis locutus est Cicero sed quemadmodum ille eo praeditus ingenio quo tum erat, eo dicendi usu, ea rerum nostrarum cognitione qua tum profanarum erat instructus, postremo sic inflammatus studio pietatis erga rem publicam Christianam, quemadmodum tum vel gloria vel studio flagrabat in urbem Romanam et in majestatem Romani nominis, dicturus esset hodie Christianus apud Christianos, si viveret. Hoc qui praestare valet, prodeat, et aequis animis feremus illum dici Ciceronianum, si tantopere ducitur hujus amore cognominis. Ipse M. Tullius, si viveret hoc rerum statu, Dei patris nomen non judicaret minus elegans quam Jouis O. M., nec minus decoris putaret accedere dictioni, si subinde repeteret Jesum Christum quam si Romulum aut Scipionem Africanum aut Q. Curtium aut M. Decium. Nec minus splendidum existimaret Ecclesiae catholicae nomen quam Patrum Conscriptorum, quam Quiritium, quam Senatus Populique Romani. Diceret nobiscum „fidem in Christum”, diceret „infideles” qui a Christo sunt alieni, diceret „paracletum spiritum”, diceret „sanctam trinitatem”. Quod dico probabilibus argumentis colligi potest. Num illum deterruit elegantiae studium, quominus in Philippicis, dum praeit formulam senatus consulti, utatur verbis sollemnibus magis quam Latinis? An non in Topicis utitur verbis jureconsultorum longe alienis a pharsi rhetorica? An ille fastidisset verba nostrae philosophiae peculiaria?

**Nosoponus:** Mihi quidem videris satis feliciter declamare.

### PARS III

**Nosoponus:** Quod igitur tuum est consilium? Ut Ciceronem abiciam e manibus?

**Bulephorus:** Immo, ut semper in sinu sit potius eloquentiae candidato, sed quorundam morositas fastidiumque prorsus abiciendum est, qui scriptum alioqui doctum et elegans reicere solent et indignum lectu judicare, non ob aliud, nisi quod ad Ciceronis imitationem non sit elaboratum. Primum enim non quibuslibet ingenis congruit Tulliana phrasis, ut male cessura sit affectatio; deinde, si desunt naturae vires, ut inimitabilem dicendi felicitatem assequaris, quid stultius quam in eo discruciar, quod non potest contingere? Ad haec nec materiae cuvis nec personis omnibus congruit Tulliana phrasis et, si congrueret, quaedam negligere praestat quam nimio parare. Si M. Tullio tanti constitisset sua facundia quanti nobis, aliqua, ni fallor, ex parte neglexisset orationis ornamenta. Nimio vero paratur, quod tanto aetatis, valetudinis ac vitae etiam dispendio emitur. Nimio paratur, cuius gratia disciplinas cognitu magis necessarias negligimus. Denique nimio paratur, quod pietatis jactura emitur. Si ideo discitur eloquentia, ut delectemus otiosos, quid attinet rem scenicam tot vigiliis perdiscere? Sin, ut persuadeamus quae sunt honesta, efficacius dixit Phocion Atheniensis quam Demosthenes, saepius persuasit Cato Uticensis quam M. Tullius. Jam si in hoc paratur eloquentia, ut scripta nostra terantur manibus hominum, et si citra studium contingeret Ciceronianae dictionis similitudo, tamen arte varietas esset affectanda, quae lectoris nauseanti stomacho mederetur. Tantam vim habet in rebus humanis varietas, ut nec optimis semper expediat uti. Nec usquam non verum est illud Graecorum proverbio iactatum „metabolē pantōn gluku”. Nec alio nomine magis commendatur Homerus et Horatius, quam quod rerum ac figurarum admirabili varietate non sinunt oboriri taedium lectionis. Ad hanc nos natura quodammodo finxit, suum cuique tribuens ingenium, ut vix duos reperias, qui eadem vel possint vel ament. Jam cum nihil sit humano stomacho delicatus aut fastidiosius, tum ad eruditionem parandam tantum voluminum nobis sit devorandum, quis posset in perpetua lectione perdurare, si cunctorum esset idem stilus ac similis dictio? Praestat igitur, ut in epulis ita et in scriptis, esse quaedam deteriora quam per omnia similia. Qualis autem esset ille convivator qui, cum plurimos acciperet, inter quos vix duo palati judicio consentiunt, cibos apponenter omnes eodem more conditos, etiamsi delicias Apicianas apponenter? Nunc dum alius alio dicendi genere capit, fit ut nihil non legatur. Ut ne repetam, quod ipsa quoque natura repugnat isti affectationi, quae voluit orationem esse speculum animi. Porro cum tanta sit ingeniorum dissimilitudo, quanta vix est formarum aut vocum, mendax erit speculum, nisi nativam mentis imaginem referat, et hoc ipsum est, quod in primis delectat lectorem, ex oratione scriptoris affectus, indolem, sensum ingeniumque cognoscere, nihilo minus quam si complures annos cum illo consuetudinem egeris. Et hinc diversorum tam diversa erga librorum scriptores studia, prout quenque genius cognatus aut alienus vel conciliat vel abducit, haud aliter quam in formis corporum alia species alium delectat offenditve. Dicam, quid mihi contigerit. Adulescens adamabam poetas omnes. Verum simulatque sum Horatio factus familiarior, prae hoc omnes ceteri putere coeperunt alioqui per se mirabiles. Quid existimas in causa fuisse nisi geniorum arcanam quandam affinitatem, quae in mutis illis litteris agnoscitur? Hoc genuinum ac nativum non spirat in oratione nihil nisi Ciceronem exprimentium. Quid? Quod probi viri, quanquam parum felici formā nati sunt, nolint tamen appositā personā formosissimi

cujuspiam mentiri speciem ac ne pingi quidem aliā formā sustineant, quam dedit natura, quod turpe sit mentitā facie imponere cuiquam et ridicula res sit mendax speculum aut assentatrix imago. At turpius mendacium sit, si cum sim Bulephorus, velim haberi Nosoponus aut alias quilibet. An non igitur ab eruditis merito ridentur improbi quidam, qui viros alioqui doctos et eloquentes ac nominis immortalitate dignos non alio nomine reiciunt ac velut e bibliothecis submovent, quod se ipsos stilo maluerint exprimere quam Ciceronem, cum imposturae genus sit te ipsum non exprimere, sed alienae formae praestigium oculis hominum obicere? Et haud scio an, – si liceat ita permittente Deo –, multos inventuri simus, qui totam corporis sui speciem velint cum aliena commutare; multo pauciores arbitror fore, qui mentem et ingenium totum cum alterius ingenio sint permutaturi. Primum quod nemo velit alius esse quam est, deinde quod suis quisque dotibus sic temperatus est naturae providentia, ut, etiamsi quid adsit vitii, virtutibus adjunctis paria faciat. Habet animus faciem quandam suam in oratione velut in speculo relucentem; quam a nativa specie in diversum refingere quid aliud est, quam in publicum venire personatum?

**Nosoponus:** Vide ne, quod aiunt, saepa tua transiliat oratio, quae mihi videtur eo proiecta, ut damnet omnem imitationem, cum rhetorica tribus potissimum constet: praecepsis, imitatione et usu, nisi forte qui M. Tullium imitantur faciem alienam assumunt, qui ceteros, suam habent.

**Bulephorus:** Amplexor imitationem, sed quae adjuvet naturam, non violet, quae corrigat illius dotes, non obruat; probo imitationem, sed ad exemplum ingenio tuo congruens aut certe non repugnans, ne videare cum gigantibus „theomachein”. Rursus imitationem probo non uni addictam praescripto, a cuius lineis non ausit discedere, sed ex omnibus autoribus, quod in quoque praecellit maxime tuoque congruit ingenio, decerpentem nec statim attexentem orationi quicquid occurrit bellum, sed in ipsum animum velut in stomachum traicientem, ut transfusum in venas ex ingenio tuo natum, non aliunde emendicatum esse videatur ac mentis naturaeque tuae vigorem et indolem spiret, ut, qui legit, non agnoscat emblemata Ciceroni detractum, sed fetum e tuo natum cerebro, quemadmodum Palladem aiunt e cerebro Jovis vivam parentis imaginem referentem, nec oratio tua cento quispiam videatur aut opus musaicum, sed spirans imago tui pectoris aut amnis e fonte cordis tui promanans. Sit autem prima praecipuaque cura cognoscendae rei, quam tractandam suscipis. Ea tibi suppeditabit orationis copiam, suppeditabit affectus veros ac nativos. Ita demum fiet, ut tua vivat spiret, agat, moveat et rapiat oratio teque totum exprimat. Nec statim adulterinum est, quod accedit ex imitatione. Est aliquis cultus qui nec virum dedecet et nativam formam commendat, veluti lotio, vultus moderatio sed in primis cura bonae valetudinis. Jam si tuam faciem velis ad ejus speciem componere, qui tibi dissimillimus est, nihil agas. Ceterum si videris in quopiam tui non admodum dissimili effusione risu immodeaque rictus diductione dehonestari formam, aut adductione superciliorum, corrugatione frontis, subductione nasi, reductione labiorum aut improba oculorum sublatione aliisque similibus minus decentem reddi faciem, potes his vitatis tuam formam reddere meliorem, nec tamen vultum sumes alienum, sed tuum compones. Item: vides alterum parum decere caesariem impexam aut aequo promissiorem, tuam licebit corrigere. Rursum si conspexeris in alio, quantum addat gratiae frontis hilaritas modesta, oculorum verecundia totusque vultus habitus ad probitatem compositus, ut nec torvum quicquam aut insolens nec leve aut incompositum prae se ferat, non erit praestigium, si tuum vultum ad hujus imitationem formaris. Siquidem in te situm est, ut et animus vultui respondeat. Quoniam autem varia est

formarum gratia, ne statim existimes deterius, quod dissimile est illi cuius formam miraris. Nam quemadmodum diximus, fieri potest ut qui inter se dissimillimi sunt, aequales tamen sint. Nec quicquam vetat, quin Ciceroni dissimillimus potior sit eo, qui Ciceronis lineamenta proprius exprimit. Age, ponamus aliquantis per nostros amores; ex judicio rationis, non ex affectu feramus sententiam. Si tibi tua Pitho det optionem, utrum pro Nosopone Quintilianus esse malis an is qui de rhetorice scripsit ad Herennium, utrum eliges?

**Nosoponus:** Evidem malim esse Quintilianus.

**Bulephorus:** Et tamen alter quanto Ciceroni similior est! Utrum malles esse Sallustius an Q. Curtius?

**Nosoponus:** Malim esse Sallustius.

**Bulephorus:** At Q. Curtius proprius accedit ad Ciceronem. Utrum malles esse Leonardus Aretinus an Laurentius Valla?

**Nosoponus:** Malim Valla.

**Bulephorus:** Leonardus tamen Ciceroni vicinior est. Utrum malles esse Hermolaus Barbarus an Christophorus Landinus?

**Nosoponus:** Barbarus.

**Bulephorus:** At alter ille propinquior est M. Tullio. Utrum malles esse Politianus an Paulus Cortesius?

**Nosoponus:** Politianus.

**Bulephorus:** At alter videri postulat Ciceronianus. Jam utrum malles esse Tertullianus, haeresim excipio, an Beda?

**Nosoponus:** Tertullianus.

**Bulephorus:** At Beda plus habet phraseos Ciceronianae. Utrum malles esse Hieronymus an Lactantius?

**Nosoponus:** Hieronymus.

**Bulephorus:** At alter quantus est Ciceronis simius! Vides igitur non continuo melius dicere eum qui proprius accedit ad Ciceronem, nec pejus qui dissimilior est. Denique, quemadmodum plures esse possunt Attici, qui tamen inter se dissimillimi sunt, ita nihil vetat quominus plures dicantur Ciceroniani, qui dicendi virtutibus pares sint, quam similes non sint. At quis ferat sciolos quosdam miro supercilie reicientes quicquid non referat lineamenta Tullianae phraseos, quam verbulis dumtaxat, figuris et numeris expendunt? Frigide sectatur Tullianam phrasim qui non multorum auctorum lectione, multarum disciplinarum scientia, multarum cognitione rerum instructus accedit, ne repetam quod dictum est de vi naturae et prudentia. Feram tamen hanc ineptam gloriolam in adulescente, feram in doctis, qui hunc naevum multis egregiis dotibus pensant, quis ferat senes qui nihil aliud captant, quam ut sint Ciceroniani, qui viros ipsis et eruditiores et eloquentiores eradunt ex albo scriptorum, quod ausint a Ciceronis lineamentis alicubi recedere, cum ipsi fere adeo Ciceroniani non sint, ut subinde destituantur grammaticae praesidiis? Non exprimam quorundam nomina, quibus fortasse in votis sit vel sic innotescere. De Bartholomeo Scala dicam, cui Hermolaus et Politianus visi sunt parum Ciceronianii; ipse sibi Tullianus est visus, utcumque dissimulat. At ego malim somnia Politiani quam quae Scala sobrius summoque studio elaboravit. Paulus Cortesius non dissimulat hujus affectationis studium, sed Deum immortalem, quanto longius illius epistula discrepat ab imagine Ciceronis quam Politianica, cui respondet! Sed non alia re mihi videtur Ciceroni dissimilior Cortesius,

quam quod toto fere sermone aberrat a scopo. Sic enim agit causam, quasi Politianus deterreat ab imitatione Ciceronis, tum quasi nolit eum qui scribit ullum scriptorem sibi imitandum proponere, cum eos taxet qui nulla lectione bonorum auctorum, nulla eruditione, nullo usu instructi tantum hoc moliuntur, ut Ciceronis exprimant lineamenta, quos ob id simios appellat Ciceronis. Taxat eos qui ex Cicerone verba frustillatim mendicant, qui semper alienis ingrediuntur vestigiis, cum nihil ex se gignant, qui nihil aliud quam imitantur et verbula dumtaxat imitantur. Hos negat se ferre posse qui, cum nihil minus sint quam Ciceroniani, tamen Ciceronis titulo sese venditantes non verentur de summis viris pronuntiare. Proinde monet amicum, ut, poste aquam Ciceronem primum at non solum, sed cum aliis multis eximiis scriptoribus diutina lectione contrivisset edidicisset concoxisset, tum demum, si quando pararet aliquid scribere, poneret morosam illam et anxiā sollicitudinem imitandi tantum Ciceronem nunquam a lineamentis illius oculos deflectens, quod haec anxietas efficiat, ut minus hoc ipsum assequaris quod sequeris. An hoc est deterrere ab imitatione Ciceronis? Num hoc est docere neminem omnino imitandum esse? An is qui varia lectione instructus atque, ut ita dicam, saginatus, dum scripturienti quod in quoque legit optimum venit in mentem, non imitatur aliquem, etiamsi non illis servit nec assidet, sed suos affectus ac rem de qua parat dicere adhibet in consilium? At Cortesius negat sibi placere simios Ciceronis „similem”, inquiens, „volo, mi Politiane, non ut simiam hominis, sed ut filium parentis”, eadem loquens quae dixerat Politianus. Id multis verbis prosecutus tandem velut immemor sui fatetur se malle esse simium Ciceronis quam aliorum filium. Si vox haec „aliorum” complectitur Sallustium Livium Quintilianum Senecam, quis non malit se esse similem illis, quemadmodum filius est patri, quam sic esse similis M. Tullio, quemadmodum simia similis est homini? Post haec multa congerit in eos qui sese ingurgitant varia lectione nec ea quae legunt concoquunt. Horum orationem existere scabram, inconditam et asperam. Sed quid haec ad epistulam Politiani? Si sentit cum illo, cur ita respondet, quasi dissentiat? Si dissentit, quae Politianus probat erant refellenda. Nam illud vel maxime Ciceronianum est desplicere, quid sit in controversia, quid conveniat cum adversario et in quo sit causae status, neque quicquam extra causam dicere. Proinde prolixam epistolam elaboravit Cortesius magis quam Ciceronianam, cui velut aliena loquenti nihil respondit Politianus. At Politianus, qui audiebat non Ciceronianus, quanto melius Ciceronem exprimit breviore licet epistula, non tantum sententiarum argutia, verum etiam verbis aptis, elegantibus, ac significantibus. Neque vero mihi dicuntur haec in sugillationem Cortesii, nec enim contumeliosum est postponi vix cuiquam imitabili Politiano, sed ut adolescentibus exemplo commonstretur, quid sit vere Ciceronem exprimere.

**Hypologus:** Tot ambagibus nos circumagis, Bulephore, ut parum absit quin ex Hypologo fiam Hyponosus. Quin tu simpliciter explana, quid de Cicerone quidque de hoc imitando sentias.

**Nosoponus:** Hoc ipsum et ego pervelim, nam eo propemodum tua me perduxit oratio, ut statuerim tuis obtemperare consiliis.

**Bulephorus:** Nihil arbitror restare, nisi ut quae sparsim disserta sunt hactenus in compendium contrahamus.

**Nosoponus:** Quis tibi videtur M. Tullius?

**Bulephorus:** Dicendi artifex optimus atque etiam, ut inter ethnicos, vir bonus, quem arbitror, si Christianam philosophiam didicisset, in eorum numero censendum fuisse qui nunc ob vitam innocentem

pieque transactam pro divis honorantur. Artem et usum in illo plurimum valuisse fateor, sed multo maximam eloquentiae suae partem debuit naturae, quam nemo sibi dare potest. Nec alium e Latinis scriptoribus arbitror magis habendum in sinu pueris et adolescentibus, qui in eloquentiae laudem educantur. Poetarum tamen lectionem volo priorem esse, quod hoc Musae genus magis convenit aetati tenerae. Nec quenquam ad Ciceronis imitationem vocari volo, nisi prius cognitis artis rhetoricae praecepsit. Post haec adesse volo commonstratorem artis, veluti solent pictores discipulis in tabula quapiam insigni demonstrare, quid ex arte factum sit, quid contra. Rursus M. Tullium in parte studiorum praecipuum ac primum esse volo, non solum, nec sequendum tantum puto, sed imitandum potius atque aemulandum etiam. Etenim qui sequitur, alienis ingreditur vestigiis et servit praescripto. Porro vere dictum est eum non posse bene ambulare, qui pedem semper ponit in alieno vestigio, nec unquam bene natare, qui non audet abicere suber. Imitator autem non tam eadem dicere studet quam similia, immo ne similia quidem interdum, sed paria magis. Aemulator vero contendit etiam, melius dicere si possit. Nullus autem fuit unquam tam absolutus artifex, in cuius opere non aliquid deprehendas quod melius reddi possit. Ad haec nolim hanc imitationem nimis anxiā ac superstitionē esse. Nam hoc ipsum obstat, quominus efficiamus quod volumus. Nec ita censeo M. Tullium adamandum ut a ceteris omnibus abhorreas, sed optimos quosque primum legendos et ex optimis quod in quoque est optimum excerptendum; neque enim est necesse ut quenquam totum imiteris. Nec illos aspernandos censeo, qui dictionem quidem non multum juvant, sed tamen rerum copiam suppeditant, velut Aristoteles, Theophrastus et Plinius. Ad haec nolim quenquam sic addictum esse Ciceroni imitando, ut a suo recedat genio et valetudinis vitaeque dispendio consecetur, quod , repugnante Minerva non possit assequi vel nimio constatarum sit, si tandem assequatur. Praeterea nolim hoc solum agi nec ita laudem Ciceronianae dictionis ambiendam arbitror, ut liberales disciplinas cum primis necessarias negligas. Ab istis vero velut a peste cavendum, qui clamitant esse nefas uti voce, quae non reperiatur in libris Tullianis. Posteaquam enim jus Latini sermonis desiit esse penes vulgarem consuetudinem, quicquid vocabulorum deprehenditur apud idoneos scriptores usurpemus nostro jure, cum opus est, et si durius obsoletumque videtur, quod a paucis sit usitatum, nos in lucem proferamus crebraque ac tempestiva usurpatione molliamus. Quae tandem invidia sit, cum veteres Graecorum voces mutuo sumpserint, quoties Latinae vel deerant vel minus significantes habebantur, nos, ubi res postulat, a dictionibus, quas apud probos auctores comperimus, temperare? Nec minore studio fugiendi videntur et illi qui reiciendum et ommino lectu indignum vociferari solent, quicquid verbis, formulis et numeris non effectum sit ad Ciceronis imitationem, cum liceat diversis virtutibus, si non similes, certe pares esse Ciceroni. Absit a nobis haec fastidiosa morositas: quin potius quod Naso ludens narrat sibi accidisse in puellarum amoribus id nos serio praestemus in auctorum lectione. Illi proceram commendabat pueram, quod heroina videretur, brevis placebat ob commoditatem, primam aetatem flos ipse commendabat, grandiorum rerum usus, in illitterata delectabat simplicitas, in erudita ingenium, in candida coloris gratiam amabat, in fusca nescio quid latentis gratiae sibi fingebat. Eodem candore si nos ex singulis scriptoribus excerptemus quod habent probandum, nullum fastidiemus, sed ex omnibus aliquid delibabimus quod nostram condat orationem. Ceterum illud ante omnia providendum, ne simplex ac rudis aetas Ciceroniani cognominis praestigio decepta pro Ciceroniana fiat pagana. Videmus enim hujusmodi pestes nondum prorsus extinctas subinde meditari

repullulascentiam, sub hoc fuco veteres haereses, sub alio Iudaismum, sub alio paganitatem. Sic ante complures annos factiones oriri cooperant apud Italos Platonicon et Peripateticorum Faceant haec dissidiorum cognomina, ea potius inculcemos quae et in studiis et in religione et in omni vita concilient alantque mutuam benevolentiam. Proinde de rebus sacris primum ea combibenda est persuasio, quae vere Christiano digna sit. Id si fiat, nihil videbitur ornatus caelesti philosophia, nihil suavius Iesu Christi nomine, nihil venustius vocabulis quibus ecclesiae lumina res arcanas tractarunt. Nec videbitur ullius sermo venustus, qui non congruit personae nec rebus est accommodatus, monstrosus etiam, qui res pietatis tractat verbis impiorum quique materiam Christianam paganicas nugis contaminat. Quodsi quid hic veniae datur adolescentiae, ne sibi sumat idem juris aetas proiectior. Qui sic est Ciceronianus, ut parum sit Christianus, is ne Ciceronianus quidem est, quod non dicit apte, non penitus intelligit ea de quibus loquitur, non afficitur his ex animo de quibus verba facit. Postremo non eodem ornatu tractat res suae professionis, quibus Cicero tractauit argumenta suorum temporum. Huc discuntur disciplinae, huc philosophia, huc eloquentia, ut Christum intelligamus, ut Christi gloriam celebremus. Hic est totius eruditionis et eloquentiae scopus. Admonendi sumus et illud, ut, quod in Cicerone praecipuum est, imitemur. Id non in verbis aut orationis superficie, sed in rebus ac sententiis, in ingenio consilioque situm est. Quid enim refert, si filius parentem oris lineamentis referat, cum ingenio moribusque sit dissimilis? Postremo, si non continget nobis, ut istorum suffragiis Ciceroniani dicamur, moderate ferendum est, quod nobis cum tot egregiis viris quos ante recensuimus commune est. Stultum est sequi quod assequi non possis. Delicatum est ob id misere discruciar, quod tot eximii scriptores aequo tulerunt animo. Indecorum est affectare, quae nobis non congruunt. Ineptum est aliter velle dicere quam res postulat. Insanum est tantis vigiliis emere, quod vix usquam sit usui futurum. Huiusmodi ferme pharmacis medicus ille meo me morbo liberavit; quae si non gravabimini devorare, spero futurum ut et te, Nosopone, et te, Hypologe, febris ista relinquat.

**Hypologus:** Ego sane jamdudum morbo levatus sum.

**Nosoponus:** Et ipse propemodum, nisi quod mali diu familiaris etiamnum reliquias aliquas sentio.

**Bulephorus:** Istae paulatim elabentur, et si quid opus erit, denuo « ton logon » medicum accersemus.